



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Disputatio Quarta. De obligatione iterandi confessionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

2. Est tamen notandum, quod si pœnitens confessionem invalidam non iteraret, sed ex oblivione, vel ignorantia invincibili, insequentibus confessionibus defectum illum taceret, licet postea recorderetur talis defectus, non tenebatur reliquas intermediarias repetere, sed illam tantum, quæ fuit invalida, & defectum in illa commissum; reliquæ enim interpositæ validæ fuerunt, utpote in quibus nullus intervenit defectus, ut bene cum Valquez, Sanctio, & aliis tenent Diana 3. p. tract. 4. resol. 118. & Cardin. Lugo hic disp. 16. sect. 15. num. 599.

3. Quoad modum iterandi confessionem invalidam, non levis est difficultas, an teneatur pœnitens omnia & singula peccata in prima confessione subijcere, iterum distinctè repetere? Et quidem si confessio iteranda sit cum diverso confessario, affirmativè respondeo cum Suarez disp. 22. sect. 6. contra Delgadillo de Pœnitent. cap. 19. dub. 51. numer. 155. Quia ei sunt peccata sigillatim, & distinctè proponenda, qui ut iudex, causâ cognita, sententiam absolutionis est prolaturus. Ut constat ex Tridentino, & ex ipsa ratione iudicii. Si verò cum eodem confessario, qui de peccatis in confessione invalida auditis recordatur, sufficeret, omnia unico verbo illi confiteri, defectum supplendo. Hæc apud omnes certa. Difficultas ergo solum est, quando Sacerdos est idem, sed de peccatis in confessione invalida subiectis, jam est oblitus. In qua varia sunt Doctorum placita.

4. Aliqui absolute asserunt, memoriam Sacerdotis non esse necessariam ad absolvendum, ac proinde opus non esse, repetere distinctè confessionem. Ita Medina Codice de confess. quæst. de circumst. mutantibus speciem, & Adrianus quæst. 4. de clavibus, & pro casu, quo confessarius in confessione invalida imposuerit satisfactionem; admittunt Sylvest. Antonin. Paludan. & Navarr. apud Suarez supra num. 6. Ipse verò illis consentit non absolute, sed pro eo tantum casu, quo invaliditas confessionis proveniat ex defectu formæ rite prelatæ: sed magis universaliter Lugo ubi supra. 2. num. 632. verum putat, quoties invaliditas non proveniat ex defectu jurisdictionis: Si autem ex hoc capite putat necessariam esse, habeat saltem confessarius memoriam confusam præteritæ confessionis. Imò P. Suar. accusationem omnium peccatorum de novo distinctè fieri requirit, sicut, & quando ex defectu doloris, vel integritatis fuit invalida.

5. Ceterum P. Vasq. hic q. 92. art. 3. dub. 3. aperte docet, quocumque ex cap. fuerit invalida confessio, non esse opus distinctè confiteri, dummodo confessarius recorderetur status pœnitentis, aut pœnitentiæ, quam imposuit, cui dissentire nequit M. Joan. de la Cruz in direct. 2. p. de Pœnit. q. 3. dub. 9. tom. 1. ubi loquens de his, quibus à confessario differtur absolutio, inquit: dilata absolutione injunge statim pœnitentiam, ut hac postea nota, & confessione non repetita absolvas pœnitentem, et si non recorderis peccatorum. Ita Henric. Sylvest. Navarr. cum aliis. Si verò de pœnitentia in iuncta neuter recorderetur, confusam aliquam peccatorum notitiam confessario tribuendam, sentit cum Valentia, Fausto, & Navarro, Diana 4. p. tr. 4. resol. 203. quos sequitur Gaspar Hurtado de Pœnit. disp. 8. diffie. 8. ubi addit, quod si pœnitentia non fuerit in iuncta, nec de pœnitentis statu confessarius recorderetur, nec pœnitens in memoriam illi revocet, non esse adhuc necessariam de omnibus peccatis distinctè se excusare, sed sufficere confusam aliquam peccatorum notitiam confessario tribuere, quæ sufficiat ad pœnitentiam prudenter taxandam, nam postquam peccatorum confessio fuit distinctè

facta, & à confessario distinctè percepra, sufficit notitia confusa ad pœnitentiam imponendam, qualis post longam confessionem solet confessario relinqui.

6. Denique P. Granad. in 3. part. controvers. 7. tr. 9. disp. 12. num. 5. absolute, & sine aliqua limitatione docet, pœnitentiam iteranti invalidam confessionem cum eodem confessario sufficere, si in generali se accuset, dicens: accuso me de omnibus peccatis, quæ in ea confessione invalida tibi confessus sum, & de sacrilegio in ea commissio: & confessarium posse valide, & licitè eum absolvere, quamvis nec confusam peccatorum notitiam habeat, nec pœnitentiæ, quam injunxerat, recorderetur. Hanc sententiam amplectitur Leander tract. 5. disp. 5. q. 81. ubi pro illa citat Adrianum, Medinam, D. Antoninum, & P. Thom. Sanchez, & stat probabilem sibi videri, inquit Diana 5. p. tr. 14. resol. 51. & planè sequitur part. 11. tr. 6. ref. 49. item Delgadillo ubi supra. cap. 19. num. 53. Vercelli in qq. Mor. tr. 5. q. 6. num. 35. & Tamburinus in Method. lib. 3. cap. 2. num. 4. Fundamentum horum Doctorum est, quia absque repetitione peccatorum in speciali, & sigillatim, verificatur pœnitentem omnia, & singula peccata distinctè confessum fuisse, & confessarium illorum notitiam habuisse. Si autem de præsentis talis notitia in speciali ad aliquid requireretur, maxime ad pœnitentiam proportionatam imponendam: ad hoc autem non requiritur, quia supponimus, in confessione illa invalida fuisse in iunctam. Præterquam quod pœnitentia non est cum tanto rigore proportionanda peccatis, ut nequeat ex iusta causa minorari, quæ autem magis rationabilis, quam aliam jam impositam super eisdem peccatis adimpleram fuisse. Confirmatur: nam si pœnitens confessionem generalem faceret durante per multos dies, & confessarius singulis diebus, non collata absolutione, pœnitentiam aliquam imponeret, non esset necessarium, ut in fine confessionis, cum licitè absolveret, quod recordaretur omnium peccatorum, nec quod de pœnitentis in iunctis interrogaret. Ergo.

S. VNICVS.

Propria sententia.

7. IN hac controversia certum in primis existimo, ad valorem Sacramenti sufficere bona fide se accusare in generali de peccatis in confessione invalida subiectis, quocumque ex capite, valoris defectus provenierit; quia ut postea probabimus ex communi Theologorum sententia: peccata sic universaliter dicta, sunt materia sufficiens absolutionis; imò in casu naufragii, pestis, & similibus, omnes Doctores ejusmodi confessionem consilere solent. Difficultas igitur tantum esse potest: an pœnitens, si possit, teneatur majorem præbere notitiam, & an ea non data, possit confessarius eum licitè absolvere? Et respondeo, non posse, nisi eam notitiam de statu conscientie pœnitentis retineat, quæ silet communiter remanere in confessario paulò post audita peccata sigillatim quoad numerum, & speciem. Et hæc ni fallor, est mens P. Vasquez, & Hurtado. supra.

8. Hanc sententiam judico evidentè inferri ex Trident. sess. 14. cap. 5. ubi ad absolutionem impertendam exigit eam cognitionem causæ, quæ ex hujusmodi peccatorum narratione sigillatim facta, generetur. Sic enim, inquit, constat, Sacerdotes iudicium hoc, incognita causâ, exercere non potuisse, neque equitatem,

speciem. Quapropter P. Bresserus de conscientia, lib. 4. cap. 18. num. 197. tam in uno, quam in altero casu opinionem Card. de Lugo probabilem putat: Ergo si principium, quo nititur Lugo, aliquid probat, concludit etiam, esse probabile, rusticum nunquam teneri confessiones, agresti modo factas repetere, licet, nec numerum, nec species peccatorum distinctè confessus fuerit.

1. Nos verò licet existimemus, ut constat ex dictis sup. 1. de integritate confessionis, quæst. 6. peccatum dictum ut dubium, debere dubio cessante, ut certum explicari, adhuc ex alio principio, asserimus probabile, ejusmodi rusticos communiter non teneri præfatas confessiones repetere. Ita Henriquez de Penit. lib. 2. cap. 5. cum Gueterro, & aliis viris doctis, à se consultis. P. Sà verb. confessio, num. 41. Fagundez 2. præcept. Eccles. lib. 3. cap. 5. num. 11. Diana 3. part. tract. 4. res. 89. & cum Marchantio iterum part. 5. tract. 13. res. 84. Quibus consentit Tamburinus in Method. lib. 2. cap. 1. §. 4. num. 29. & cum Fabro, tenet Leander tr. 5. disp. 5. quæst. 72. licet restringat eo modo quo Card. de Lugo supra. Moveor, nam cum prædicti rustici uniformem vitæ modum communiter habeant, ex confessione unius anni, conjicere potest prudens confessarius, quot numero peccata, & in quibus speciebus, reliquis annis commiserit. Si autem ex confessione unius anni nequiret prudenter de antea acta vita judicare, & aliunde ejusmodi rustici, ut ponimus, in reliquis confessionibus ita se accusaverint, ut confessarius plus minusve, peccatorum numerum, & species non percepisset, tenerentur sub mortali omnes confessiones dum postea possent repetere, determinando certum numerum moraliter, vel mathematicè. Quidquid contraxerit Leander ex Lugo, quod prius docuerant Veja 1. part. casu 2. & P. Sà ubi sup.

DISPUTATIO QUINTA

De dolore, & dispositione, quæ peccatorum absolutionem debet precedere.

QVÆSTIO PRIMA.

An ad effectum hujus Sacramenti requiratur vera contritio? an sufficiat attritio?

1. Suppono primo ex communi Theologorum, attritionem sufficere ad valorem Sacramenti, & distingui à contritione, per ordinem ad diversa motiva: contritio enim est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum: attritio verò est dolor de peccato propter eius turpitudinem, vel ex metu gehennæ, & pœnarum, seu carentia beatitudinis conceptus. Suppono secundo, valorem hujus Sacramenti in eo stare, quod habeat partes essentielles: effectum verò illius esse gratiam habituales reddentem hominem sanctum, maculamque mortalem expellentem. His positis.

2. Prima sententia asserit, veram, & perfectam contritionem ad hunc effectum requiri, taliter, ut si

re ipsa non habeatur, non conferatur gratia habitualis. Ita docuere M. Bonavent. Hugo, Richard. Alensis, Gabriel Major, Medina, & Adrianus, apud Suarez de Penit. disp. 22. sect. 1. Verum hanc sententiam periculosam vocat Vasquez hic quæst. 92. art. 1. num. 2. Et hoc Sacramentum habere virtutem ad justificandum peccatorem, per solam veram attritionem dispositum, adeo certum est, inquit Suarez supra num. 10. ut non possit absque errore negari. Probatur ex Tridentino sess. 14. cap. 4. ubi de attritione loquens, sic ait: Quamvis sine Sacramento Penitentia per se perducere peccatorem ad justificationem nequeat: tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit. Ecce ex Tridentino attritio, quæ sine Sacramento ad justificationem non sufficit, in illo tamen sufficienter disponit, ac proinde proximè, ut bene expendunt P. Suarez supra, Vasquez art. 1. citato, dub. 2. & Card. Lugo disp. 5. sect. 9. num. 143. quia si in Concilio tantum esset sermo de dispositione remota, malè assignaret discrimen inter attritionem cum Sacramento, & sine illo; concedendo attritioni in Sacramento, quod extra illud negat: quandoquidem attritio, etiam extra Sacramentum, ad justificationem remotè disponit. Præterquam quod, cum Concilium intendat ex professo explicare dispositionem, quæ ad effectum, & fructum Sacramenti requiritur, eam nobis tradere, & proponere debuit, quæ per se esset sufficiens ad talem effectum consequendum, absque consortio alterius doloris ex perfectiori motivo provenientis, aliàs diminutè processisset.

3. Deinde probatur ratione: quia si contritio perfecta requisita foret ad effectum hujus Sacramenti, jam essent mortalia remissa, quando absolutio conferretur, ac proinde non remitterentur virtute clavium, quod erroneum, & contra fidem est, ut notat P. Vasquez q. 84. artic. 3. Est enim contra Concilium Florentinum sess. ultima in decreto Eugenii de Sacramento Penitentia, ubi definit: Rem illius (id est, effectum) esse remissionem peccatorum. Est etiam contra Tridentinum sess. 14. capite 5. ubi ait: Sanè res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliare est cum Deo. Quæ quidem, ut patet, vera esse non possent, si contritio esset requisita ad Sacramenti effectum, nam cum contritio absolutionem precedere deberet, Sacramentum non remitteret peccata (ut ait Florentinum) quia jam supponeret anteabsolutionem remissa: nec reconciliaret cum Deo (ut dixit Tridentinum) quia jam supponeret peccatorem cum Deo reconciliatum. Hoc argumentum urget subtilis Scotus in 4. dist. 14. q. 4. lit. E. per hæc verba. * Alioquin, inquit, non apparet quomodo Sacramentum Penitentia sit secunda tabula, si nunquam per ipsum, ut Sacramentum possit recuperari secunda gratia amissa, sed tantum per contritionem, tanquam per dispositionem completivam. * Ergo omnino certum esse debet, ad effectum hujus Sacramenti veram contritionem non requiri: sed sufficere attritionem, quæ imperfecta contritio dici solet. Hæc veritas me iudice inter fidei dogmata numeranda esset.

4. Dices contritionem perfectam, non semper habere conjunctam remissionem peccatorum, sed solum in casu necessitatis, quando quis nequit nisi difficillimè confessarium adire: quando verò potest, non remittuntur peccata quantumvis contrito ante receptionem Sacramenti. Sic respondet Franciscus Sylvius in quæst. 5. supplementi D. Thomæ, art. 1. cum Molano, & Joanne Estio discipulis Michaelis Baii. Cæterum hanc sententiam esse erroneam, ait Egidi-